XXXIX
D.
77.
NAZ.
uele III
.IX
7
OLI

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
77
NAPOLI

XXXIX
D.
77.

61

76

Stanza pri. num. + libro ~~70~~ ~~80~~ 61 Jn. fil

TRIVMPHVS PODAGRÆ,

IN GRATIAM, ET FAVOREM OMNIVM, CVM EA CONflictantium accuratè conſcriptus, & heroico carmine adumbratus.

Cui acceſſit tractatulus

DE POENIS IVDÆORVM IVXTA TRIbus ſuas diſtinctis, pro vt quæq; Chriſtum in paſſione & morte perſecuta eſt.

Auctore

R. D. GEORGIO BARTHOLDO PONTANO A BRAItenberg, Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis Præpoſito.

Cum priuilegio Cæſareo.



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

FRANCOFORTI,
TYPIS WOLFGANGI RICHTERI,
proſtat in Officina Nicolai Steinii.

Anno Domini M. D C. V.

ADMODVM REVERENDIS, ILLVSTRIBVS, ET EXIMIIS VIRIS, ATQVE MAGNAtibus, doctis & indoctis, ſingulis & omnibus, cuiuscunque dignitatis, conditionis, ſtatus & eminentiæ fuerint, cum PODAGRA militantibus,

Salutem & ſanitatem precatur.

INter varias & complures paſſiones & infirmitates, quibus hac penè ruente mundi machina fragilis humanæ conditionis natura affligitur & colluctatur, non infimum locum obtinet ſæua illa paſſio, quæ vulgò Podagra nuncupatur, illa enim nemini parcit, Reges & Principes, Prælatos & Nobiles, doctos indoctosq́;, maſculos & fœminas, ſine diſcretione magno auſu inuadit, proſternit & de omnibus quaſi Triumphum agit, tanta audacia, vt nullam medicinam Doctorum etiam excellentiſſimorum admittat, luxuriando temporis ſui ſeruet rationem, & modum

ſuæ libidinis imponat ſecundum ſuum beneplacitum, & ſola patientia vinci cupiat & permittat.

Eam ob rem quidam hac moleſtia obuoluti inſignes viri ſedulò petierunt & efflagitârunt à Reuerendo & Illuſtri viro Domino Georgio Pontano à Braitenberg Præpoſito Pragenſi, cui hæc blandula puellula non adeo eſſet incognita, vt de ea aliquid, fauente ſua Muſa, lepidi carminè conſcriberet & caneret: Quibus morem gerere volens optimus vir, conſcripſit hunc TRIVMPHVM Podagræ, illumque communicauit quibusdam ſuis amicis, vt haberent materiam hoc noſtro pertriſti tempore animum exhilarandi: E quibus vnus illorum ſanè ſine ipſius Auctoris permiſſione illum mihi imprimendum concredidit: Quod eo libentius præſtiti, cum & Auctor ipſe, tum etiam is, qui mihi exemplar commiſerit, me ſuis infinitis beneficiis adeò deuinctum reddiderint, vt nefas eſſe exiſtimarem tantis viris pro meo poſſe & noſſe non regratificari.

Rogo igitur omnes & ſingulos Podagræ militantes & fauentes, vt ſtudium & beneuolentiam Auctoris, & animi mei promptitudinem æqui boniq; faciant, quibus mea obſequia & ſeruitia libenter defero & conſecro. Dat. Francofurti Imperialium,

lium, in feſto S. Michaelis Archangeli tutelaris noſtri, quem Auctor in Clypeo ſuorum inſignium gerit, Anno ſalutis noſtræ, M. D C. V.

R. D. V.

Seruus & Cliens

Nicolaus Steinius, Not. & Bibliopola.

IN ANGELVM CV-
STODEM, MAGNVM
ILLVM TOTIVS HVMANITATIS,

*peculiater autem & Mancupi Tutelarem S. Michaëlem, Reue-
rendißimi Domini, ſanctæ Metropolitanæ Tzechorum Præpo-
ſiti, Georgii Bart-holdi Pontani: Comitis ſacri Im-
perialis Palatii, &c. Proſtantem ideo eundem
in huius clypeo: & in procinctum
ad excubias.*



QVid ſcuti, PONTANE, tibi? quæque arma peculii?
Tantæ Virtutis propria Imago tuæ?

Quàm

Quam graphica illuſtriſq; & verè própria Imago?
Angelus, imo alæ totius Angelicæ
Ille caput Princepſq; & maximus Induperator:
Prorſus proq; ſui Nominis elogio:
Ipſa Dei facies atque emanatio prima:
Inq; creaturis formula prima Dei:
Ipſe Tibi MICHAEL, in procinctum arduus aſtat:
Et ſcuto & gladio rem geret ille tibi.
Non minus Hebræi quàm idem Tutela, fuitq;
Nominis ancile & nobile præſidium.
Qui nunc mancupio Tibi ſe dedet: atque Tibi Stat
Primipilaris, enſe minaxq;, tuus
O verè Tuus, & Tibi res cumprimè peculi:
Ingenii & Generis, propria dosq;, Tui.
Stat tuus accinctu GENIVS tibi & excubat acer:
Affixus ſcuto præſidioq; Tui.
Enſe ſtat exerto tibi, Turritamq; Columnam
Propugnans, Armis ſtatq; ſedetq; tuis
O verè Scutumq; tuum Gladiusq; Columnaq;:
Ingenii & generis propria Imago Tui.
Ipſe tuus GENIVS, tibi congenitusq; Satelles,
Aſſiduus Cuſtos ſtatq; ſedetq; tibi.
Ille tuoq; hærens lateri indiuulſus Achates:
Quàm rectè clypeum ſeruat & arma Tibi?
Cætera quidq; moror? cùm tam ſe proximus idem
Effundat nobis, toto aperitq; ſinu:

Duo enim ſumma genera armorum. Daniel 12. & Apocalypſ.

Viua

Viua ipſa ſe vltro cùm pingit imagine: vultum
Præq; ferens ideo hic, SOL & APOLLO, tuum.
Quippe nec id magnum Michaelis nomen, & omnis
Tanta vetusq; iſthæc gloria, res alia eſt:
Nil, niſi Sol iſte eſt, Princeps rerum omnium: & vnà
Summi imoq; orbis ſolus ibi ille Caput.
Sol, operum fax vna DEI, tot tantorumq;:
Omnis Diuini, Sol, Caput Artificii:
Sol vitæ, Lucisq;, & quàntùm eſt cunq; bonorum,
Seipſam perpetuans, Nilus & Oceanus.
Sol, primus diæ riuus Bonitatis Opumq;:
Inq; Creaturis formula prima DEI.
Et verò Michael, hæc per Pomæria mundi,
Inter diuinæ munia Cuncta manus,
Princeps ille vnus: verò pro Nomine & ipſo
Proximior Facies, primæ & Imago DEI.
Atque idem Igniculi toto genitabilis Orbe,
Iugis Vitarum perpetuosq; focus:
Ingenii cumprimè, & tractæ cœlitus auræ:
Et, qua cenſetur ſola Homo, mentis opum,
Creditus diem olim, ſub nomine Apollinis, auctor:
Germanarum ideo præſul & Anoidum:
Præſul & inde tuus iam idem, Geniusq; Peculii:
PONTANE, & Generis propria Imago Tui.
Scilicet hic Michael hic eſt tuus, Angelus iſte
In Solem armatus, inde Tibi ergo Suum.

Armi-

Armiger iſte tuus, Larium Tutela tuorum:
Is ſcutum, is gladius, certa columna tua.
Hic te Germanis Genius illisq́; Nouenis
Miſcuit: & Vana nobilis Ingenii,
Exauctum, fecit tantum hæc in Secula Vatem:
LAVREA Vati idem, & iuſta CORONA tua eſt.

Ita eſt, hoc à ſeſe ipſa loquenti conteſtantique Imagini Nobilitatis ac Gloriæ, ſubſonabam eadem ibi extemplo, vt nimis apparet, Johan Ferſius, vbi hoſpes tunc in Regia, Pragæ.

REVERENDISSIMO ET PRÆLVSTRI DOMINO GEORGIO BARTHOLDO PONTANO

à Braitenberg, almæ Metropolitanæ Pragenſis Præpoſito, &c. TRIVMPHVM PODAGRÆ publicanti: proprius & perpetuus ille vt ſit, ſubſequens eum haſtula ſua pura Ferſius ſubſonat precaturque.

PONTANVS, Podagram in Currum? quin inq; Triumphum?
Quis non obſtupeat? Peſtem eam? & acre malum?
Id cunctorum odium mortalium, amarius & fel,
Ille ſuæ Muſæ mactet adoreolis?
Quidque rei hoc? & quæ miſcet ſua Seria Ludo?
Quidque poëtatur Laudis & hîcce ſuæ?
Ambiguum ne facu? magis hîc implere Poëtam,
Ipſe an continuet Theólogum anne magis?
Namque ita num Chriſti fuerat Lex illa ſequenda?
Vt tantumque Mali, vinceret ipſe Bono?
An magè delicias facit? & ſæuumque ſuum hoſtem,
Sic mulcet Muſæ plandulo amore ſuæ?
Anne imitabundus veterem hîc quoque & ille Poëtam?
Horatius. *Qui iuſtam nobis dixerat hanc Podagram:*
Quàm iuſtam ille olim, tam victricem iſte Podagram?
Quidue Triumphantum hîc fingere læta fuit?
Iterum Horat. *Anne poëtam implet, mâlis ridentem alienis?*
Hoc iam Ouidii. *Quodque alter dixit, difficile eſſe, facit?*

Triſti

Triſti vt mente iocos fingat: Vel carminum an arte,
Tantam ſæuitiam mitigat ille luis?
Atque Theophraſti repetit priſcam ille medelam?
Et Solatiola hæc publica reſtituit?
Vt quam ſe faſſa eſt Medicina nequire Podagram,
Omni iſtacce ſua tollere ſeplaſia:
Jlle Theophraſti veteris promiſſa recantans,
Percuret, Genio Carminis, Iſchiada?
Quæquæ horum fiant, ſiue & magis omnia fiant:
Nec, niſi Pontani hæc, confieri arte, queant.
Clinicus vt Podagræ fultæ in focalia, fiat:
PONTANIS, *nunc cum primè Poëta facit.*
Dignior hiſce ſuis ergo Laudum ipſe Trophæis:
Et, ſi remq́ue omnem deniq́ue ſcire voles;
Victam digna ſequi Podagra eſt, non ſcandere Currum, Quod Horatius de pecunia.
Jdq́ue hic Pontani, vincitur Ingenio.
Sola adeo illius potuit hunc Muſa Triumphum,
De tanto nobis hoſte referre nouum.
Sola iſtum potuit cunctisq́ue præire Triumphum:
Auxilii Medici vimq́ue docere nouam.
Digna triumphare hunc communem firmiùs hoſtem:
Et captatorem, ponè, pedum Podagram. Inde enim eſt ποδάγρα.
In nexu merita hinc proprio atque in compede habere:
Obuinctam Pedibus Carminibusq́ue ſuis.
PONTANI *hoc potuit ſolius denique Muſa:* Jd enim erant ii etiam per prouerbium, καταγαφυ- εισμοί.
Sic Depontanam ſternere humi Podagram.

De ſimulachro Podagræ.

NOn procul à Delphis nec non ab Apollinis aris,
Monſtroſis membris ſeruat imago locum.
Nunc huc nunc illuc mirans mea lumina verto.
An oraturus an abiturus ego?
Forte ſenex, lippus, labris pedibusq; vacillans
Et membris crepitans, gutture raucus adeſt.
Quæro, quid hoc monſtrum? Simulachrum, ait ille, Podagræ,
Cætera ſi neſcis, ipſe notanda dabo.
Sunt oculi in latebris, latitant qui vincula Martis
Et veneris curant & fugiunt oculos.
Cum iam finis adeſt ſcelerum, pudor obruit omnes
A vitiis cuperent ſe procul eſſe ſuis.
Neuè magis videant vetita, ecce hæc pœna; ſed aures
Sunt nudæ, vt capiant, quæ placuêre priùs.
Vix os proloquitur, iam percipit illa loquentem
Auditosq; tibi pœna, dolorq; ſuus.
Naſus contrahitur, quondam venator odoris,
Fœtorem exhorret pendulus ipſe ſuum.
Pallent labra, genæ flaceſcunt, oſcula ſuccum
Extraxêre bonum ſæpè petita nimis.
Irrequieta etiam cum dentibus ora mouentur
Sæpè, docet malum ſæpe fuiſſe fugax.
Oſcla, iocos, riſus, crepitacula ſola fuiſſe,
Rixas & ſtrepitus dentibus ora mouent.
Aridus eſt vter, ſiccatu flumine vini
Guttur, & incuruum, quod fuerat rigidum.
Illa ſuperbiuit erecto florida collo.
Sic inflata crepunt, & tumefacta cadunt.
Et quoniam voluit ſe cunctis ante videri,
Arida, iam lucet corpore, pelle caro.
Molliculis digitis atque hæc tractabat & illa,
Et nunc, vt ſoliti luxuriare manent.

Ipſa tenet dextra crines barbamq; virilem,
Viribus herculeis exuit ipſa virum,
Pocula ſuſtollit paulum Cyrcea, ſiniſtra,
In ſe monſtrat opus, quod fuit ipſa, ſuum.
Pectore dependent ſcabræ exhauſtęq; papillæ.
Multa manus tetigit, nulla manus repetit.
Flexilibus pedibus & ad omnia ludicra promptis
Vincla iuga & nodi, tum rigor ipſe nocet.
Vt fuit inſignis virgo florente iuuenta:
Sic deforme malum ruga ſenilis habet.
Non ſtat imago, vides, ſed nec iacet illa, ſedetue
Vita iuuentutis mosq; erat ille ſuæ.
Viua quidem fama, ſed cunctis mortua membris,
Huc quotquot veniunt, ſcommata multa vomunt.
Huic cepi ſeruire puer, Comes additus illi,
At nunc tam miſeros, heu mihi, viuo dies.
Plango prius, doleo præſens, timeoq; futurum,
Quis mihi præteritos donet habere dies.
Nunc ſcirem quid vita ſiet, quàm labilis hora,
Quid deceat, ſenii commoda quanta boni.
Me miſerum, perii, ah ego ego ſum cauſa malorum,
Cur florem miſeræ, me dominæq; dedi.
Nulla ſalus illi, mihi nulla, breuiq; peribo
Ignotus terris, ſors inhumatus, inops.
Pluria ne quæras, ſimulachri eſt altera cuſtos
Parua, ſcreans, querela, putida, putris anus.
Væ tibi ſi veniat: omnia nec mihi parcit inani,
Nequior haud vnquam beſtia vixit humi.
Dum relego ſubito veſtigia & illa recedit,
Audio ceu ranas perſtrepere aut anates.
Reſpiciens cerno viſu miſerabile monſtrum,
Quod mea non planè pingere metra queunt.
Diriguêre Comæ, it ſudor, pes vterque labaſcit,
Neſcius an vitæ, mortis an ipſe ſiem.

Spiri-

Spiritus intereà vitalis ſuſcitat artus,
Et propero lætus, quo reuocabat iter.
At vos ô iuuenes ſimul innuptæq; puellæ
O ſeruate decus & cohibite malum.
O riſu digni, ridetur at ipſa Podagra,
Qui vitam veſtram turpiter atteritis.
Temporis vſuram atque vſuram diſcite vitæ,
Multum eſt præteritos non doluiſſe dies.

Idem Author Triumphi.

Aliud.

QVid iuuat exoſam tandem ridere Podagram,
Quæ ſibimet riſus fabula & hiſtoria?
Rideri vosmet æquali ſorte, cauete,
Rideo, rideri, ſunt prope iuncta ſibi.

Aliud.

Damnatam dices, ſed res non vera, Podagram:
Abſtrahit à prauis inuigilatq; bonis.

Aliud.

Non dolor eſt ſimilis Podagræ pœnæue reorum,
Illa cito, hic lente corpora diſcrutiat.

Aliud.

In luxu non eſt Podagra: at primordia luxu
Robur & augmentum, viſcera, vita, rogus.

Aliud.

Si cupis èxanimum iuuenis vitare Podagram,
Quicquid agis, caueas, ne tibi ſit nimium.

Aliud.

Si fueris hæres Podagræ quicunque paternæ,
Teq; dolor iuuenem corripit immeritus.
Non pateris delicta patris: ne tu quoque pecces
Hoc patris fœlix impediêre bono.

TRIVMPHVS PODAGRÆ.

GRatus inauditum vates cantabo triumphum,
Diua Podagra tuũ, tua laus, tua gloria ſurget.
Pro bonitate tua tu me complectere alumnum,
Plurima in emeritas deducam carmina laudes,
Teq́ triumphantem totus mirabitur orbis.
Theſſaliæ locus eſt, quo non iucundior alter
Arboribus fluuiis, & aprici gramine campi
Delitiarum hortus, auibus cantuq́ canorus,
Vt vitis, creſcit hedera, flos multus odore
Suauis vt & flauius terram Peneus vtramq́
Theſſaliæ & Macedûm diſtinguens, flumine Pindo
Effuſus, motos mediat vel ab Hercule montes
Nubibus intactos Oſſam, ſociumq́ & Olympum:
Iungitur huic Helicon, ſeſeq́ euoluit in vndas
Ægæi pelagi, Iouis ara in vertice fulget.
Exta oblata tenens totum incorrupta per annum.
In planoq́ patet Iouis ô memorabile templum.

Diuo-

Diuorum ſedis locus eſt, diuum amphitheatrum,
Concilium ſuperûm, diuis gratiſſima Tempe.
Huc nebula ſubito rapior, quaſi puluis ab aura
Frondiferæ rupi immiſſus, quàm molliter: ecce
Mercurij ſocius, qui me trans æthera vexit
Luce ſerenata atque anfractibus vndique apertis
Dat mihi ſe verbo facilem, vultuq; benignum,
Attonitus nouitate rei, gentisq; lociq;
Obſtupui, quid honor, quid rerum gloria tanta
Sponderet? Miraris, ait, Comes additus, vt quid
Hæc ſit Maieſtas, ſplendor, decus, ornamentum?
Sunt Tempe, quæcunque vides loca ſacra Deorum
Hic illis fumant altaria pinguia ſemper.
Ordini conſpicuo, circum Diiq; Deæq;
Montibus excelſis proſpectant, inter eosdem
Mars, Venus & Bachus ſemper tria magna coruſcãt
Numina, quæ cernis, quibus eſt oriunda Podagra,
Chara Iouis neptis & magna propago Deorum.
Inſignem ductans hodiè pro more triumphum.
Ecce triumphalis (bene pictis ordine geſtis,
Tot populis miſeris fruſtrà conantibus, vltrò
Herbas & verba implorantibus, exantlatis,)
Arcus adeſt, ſupera collucet plurima flamma,
Et Iouis & Martis Veneris Bachiatq; Deorum

 Effigies

Effigies diſtincta, nitentq́ꝫ Cupidinis arma,
Verba ſuper portum magnis prægnantia formis.

Inſcriptio portæ triumphalis.

Totius mundi, gentis totius & omnis
Humani membri Reginæ prædominanti,
Cui nulla eſt ſimilis, nec viſa potentior vlla
Quæq́ꝫ omnem ſexum, ætatem ſortemq́ꝫ ſtatumq́ꝫ
Iure ſuo ſubigit, nec Marte euicta nec arte
Auguſtæ, inuictæ Dominæ terræq́ꝫ marisq́ꝫ
Atqꝫ vni ſoli, ſemper viuæ atque recenti
Verborum, herbarum, lapidum validæ victrici.
Plûmicomæ, mirandiloquæ, mirandificæque
Bachicolæ, altipetæ, auripatæ, oſsicremæque
Membri fragæ, genapallidulæ, inſomni, crucimorti
Cancrimanæ atque ſedilitenaci, coſti crepæque
Horilegæ, artitremæ, thoriuortæ, toruocalæque
Viuirapæ, tum puluinaricubæ, tophiatæ.
Millibus è cunctis, cui ſunt ſpolia ampla per orbem
Gens ſubiecta triumphanti monumenta perennat.
Tunc Heliconiades læta ſub fronde ſorores
Monſtrabat ſocias, cytharis cantuque ſonoras.
Ad plauſus faciles & iubila digna triumphi.
Neptunumque ſuper fluuios, diuasque marinas
Nereides & Nympharum agmina millia circum.
Hinc procul omnem Erebi ſobolem, Ditisq́ꝫ Tyranni
Imperij

Imperii ſocios ad regni iura receptos,
Æolus emiſſos iuſsit miteſcere ventos,
Et ſuaui ſpirare ſono: ſed & æthera miris
Lucebant radiis & tellus omnis ouabat
Multiplici fructu: Noua cunctis gratia rebus.
Audi, ait ille Comes, dum mente videbar abeſſe
Vt gentes & nomen & tanta potentia tandem
Inuiſæ Podagræ toto tollatur in orbe.
Non ſolùm Medici, quibus eſt infenſa, nec ipſis
Magnanimi Heroes, præſtantes arte, ſed illæ
Impuræ vetulæ, ignauiq; audacia vulgi
Mille modos, mille inſidias, & mille viarum
Anfractus ſtatuêre (velut quando aſtra Gygantes
Ceperunt tentare) omniq; ex parte nocebant
Vt Vates olim cecinit, qui Luc & ianus:
Inſanum genus hoc hominum, ſine viribus ira
Nil valet, indignans Dea tanta & numine cincta
Omnigeno, placidè placidos, duréq; rebelles
Excepit, vis magna Deæ, nec temnere fas eſt.
Hoſtilem cepit tacitè eliſitq; cohortem
Natorum natos & qui naſcentur ab illis
Seruos perpetuos vinclis & iure coercet,
Ex quo placati Diui Diuæq; celebrem
Communi applauſu iam decrêuere triumphum.

Innumeram gentem cernes ad ſydera palmas,
Et voces humiles, at inani tollere cœlo.
Sera nimis, ſit vera licet geminata reorum,
Vox querula & lachrymæ & ſuſpiria acuta dolorū.
Nec dum ſemiſeros clamant acuuntq́ dolores
Aduertunt miſeri, quanto donentur honore,
Cùm Dominæ Podagræ ſubeunt mandata libenter.
Qui priùs exiguæ ſortis, viliſſimus inter
Mortales fuerat, vel ab ipſo rege potente
Suſpicitur, ſedet hic, ſtante illo: liber ab omni
Dicitur officio: quæ non ratio vlla poteſt, hunc
Excuſat Podagra atq; odioſa cauere iuuabit.
Viuet ad arbitrium proprium, ſecretaq́ multa
Addiſcetq́ artes varias, conquirent ademptas,
Ingenioſus opes, morbus non obruet illum,
Et longæuus erit, ſola dominante Podagra,
Exactæ vitæ grauiora piacla piabit.
Se noſcet hominem, ſeſeq́ ad ſydera cœli
Diſponet, cupiens humanum linquere faſtum.
Multa quidem dixi, ſed longe plura ſuperſunt:
Spectatu admiſſus, facili quæ lege notabis.
Intereà qua parte Iouis procul eminet ara
Tympana multa, tubæq́, ſimul taratātara clangūt,
Reſpondent cœli, reboant taratantara ſyluæ,

Exul

Exultant animi: totus narrantis ab ore
Pendeo, at in partes varias rapiuntur ocelli.
Vidi ego prima acie, quantus exordine cœtus
Et lituis, cytharis, fidibus ſtrepituq́ꝫ præibat.
Dulciſono, pulchro concordans iubila plauſu.
Quos Tenſæ, Currus ſacri, ſimulachra Deorum
Rite ſequebantur, pompæ ornamenta vehentes.
Martis ibi effigies, Bachi, Venerisq́ꝫ Iouisqꝫ,
Saturni, Solis, Lunæ, cœtusqꝫ ſuperni
Et maris atqꝫ Orci, quorum hæc eſt numine freta.
Excelſusqꝫ globus, quo pictus & orbis & vrbes
(Nulla excepta licet, quæ non ſubiecta Podagræ)
Et quo quisqꝫ modo captus ſit, quouè regatur,
Splenduit, artificum oſtendens inſigne per omne
Ingenium, Auguſtæ vires, hominúmque labores
Et mortis ſociæ tabulis hinc inde puellæ
Vsqꝫ videbantur pictæ numerumqꝫ ſequentes.
Purpurei lectiqꝫ viri aurea dona gerebant,
Crateras, Phialas, prægrandia cornua, menſas
Argento factas, illisqꝫ ſimillima multa,
Multa accuratè picta & rariſſima texta,
Auratas torques, aurata monilia, ſaccos
Ærè graues, dextrasqꝫ graues, digitosqꝫ nitentes
Gemmis atqꝫ auro, quibus olim luxuriarunt

Infœlix patiens, ſed quis ſimul omnia nouit
Dicere, quæ populus ad debellanda Podagræ
Imperia obtruſit vires ſpondentibus vltrò,
Quæue illi potiùs ſæpè extersère dolosè
Vel prece fœminea victi? ſua dona dedêre
Et magni & parui nec non ſacri atq; prophani.
Vt docuit cuiusq; datum, vel imago refulgens
Affabrè formata: leuis ludibria vulgi
Cœlites, vt viſum eſt, risère, ipſiq; ferentes
Qui dederat doluit, puduit, qui ceperat ipſum.
Poſt hos cornicinum ſeries noua procedebat,
Et noua lætitiæ reſonabant cantica tempe.
Quæ vehebantur auiaria plurima plena
Paſſeribus, turdis, perdicibus atque columbis.
Atque auibus variis longe lateq; petitis.
Ibant & capræ, & tauri, vituliq; petulci,
Alituum pecudumq; genus conuenit in vnum,
Quod iuuat illecebras, guſtum, ventremq; ſaginat,
Omnibus inſtructas crapulis dapibusq; culinas,
Selectosq; cados, ſimul & ſpumantia vina,
Omnia quæ tellus profert meliora, vehebant
Plauſtra, coquos varios, varia inſtrumenta
Diuerſumq; genus populi, queis cura culinæ
Et potus commiſſa, nonnunquam educere luxum.

Hic

Hic Gula & Ebrietas, Ludus, Riſusq; Iociq;
Luxuriante ibant ſigno, prout ipſa voluptas
Iuſſerat in medio, multa comitante phalange.
Nec mihi ſufficiet tempus, res, verba, notandi
Singula: nam celerem viſu depromo triumphum.
Quæ alij rurſus (quorum pars magna) retortis
Aut oculis, collo, manibus, pedibusue miſellas
Induti veſtes, gallorum in vertice plumas
Geſtantes, torto ore inflabant cornua & ipſis
Pellibus hircorum conſutos vndiq; folles.
Parsq; lyras miſerè digito crepitante mouebat.
Hos Apotheca ſequebatur ditiſſima (plauſtro)
Pulueribus, pillis, oleis, variisq; ſyrupis,
Vnguentis & aquis, foliis, radicibus, herbis:
Pixides innumeras ſpecierum quis memorabit?
Cum vrina humanum ſtercus, & talia mille
Fœtida, ſpurca nimis redolentia, mixtaq; pulchra,
Quid pro Quo, ſi erro, haud dico, patienter habeto.
Quîs conata fuit plebs ô miſeranda Podagram
Tollere & inuictos impunè eludere Diuos.
Hinc viſu miſerum, proh lamentabile dictu,
Hinc inquam captiuorum numeroſa caterua
Mixtim irreptabat (non reſpicit ipſa Podagra
Perſonas, eſt vna parens atque omnibus æqua.

Torſit

Torſit inæquali tamen hæc quoscunq; rigore
Iudicio Podagræ ad tempus languore remiſſo,
Captiui vt pedites poſsint ornare triumphum.
Hinc Laici & Myſtæ, ſerui, diuiq;, Monarchæ
Artifices Medici, gens ruſtica perdita, diues,
Curſores, fabri, ieiuni atq; ebrij & aulæ
Compotatores, colluſores, ganeones.
Aſtrologi, Idates, Cantores & Cythariſtæ,
Eximiiq; viri, iuuenesq; ſenesq;, ſed omnes
Ordine confuſo, vix illos noſſe licebat.
Et pueri flentes vix matris ab vbere rapti
Ibant turmatim, fatum hoc crudele querentes
Quos Colica afflixit vel Calculus acrior vrſit,
Arida vel febris vel vermis viſcera rodens
Aut patris antiquo deductus ſanguine morbus,
Aut dolor extimulans alio vel nomine torquens.
Spectaclum ſuperos adeo miſerabile mouit.
Eunuchi & caſti genus & muliebre pudicum
Matronæq; piæ repletæ luctibus ibant.
Tùm Præceptores, nutrices inter eosdem
Et parui & magni & toto orbe recepta trophæa.
Torquibus auratis alij, comptiq; & honeſtè
Induti, facie roſea, tum corpore recto
Ibant & pleno, pedibus tamen eneruatis.

Confe-

Confecti quidam macie, quaſi Phœbus ad ignes
Exuſsiſſet eos crepitantes vndique greſſu,
Arida ceu ſeſe pulſarent oſſa viciſsim:
Quidam vel manibus pedibus vel vbique miſelli,
Contorti, inflexi, quidam manes velut ipſi
Aut vmbræ, quidam diſiectis corpora membris
Nec pictor poſſet tantas effingere formas
Nec quamuis præſtans complecti Carmine vates.
Vincti ibant omnes, oculisq; madentibus omnes
Omnes deiectis in terram vultibus: alter
Alterius flebat ſortem, miſeratus & ipſe,
Ah propriam, metuens quæ ſint ventura ſubinde.
Ridebant ſpectatores, dum murmure multo,
Singultu multo, ſuſpiria crebra trahebant
Captiui, dum lugebant miſerabile vinclum,
Inuida torquentes in lætos lumina diuos.
Vidi vulgentes diademate, honore, Tiara
Tergemina, pileis rubris multaq; caterua
Veſte colorata atque humiles pendente cucullo.
Vidi infœlicem Priamum, miſerabilem Achillem,
Maximum Alexandrum, cũ Bellerophõte & Vlyſſe.
Afflictam Pelopis prolem, medicumq; Chironem,
Cum ſociis, quos cepit ineluctabile fatum.
Qui & ſe ſecuros Podagræ iactare ſolebant.

D *Cauſi-*

Cauſidicos,ſcribas,Doctores,ſollicitantes,
Oſtia qui ſeruant qui Cancellariæ inhærent.
Balnea qui curant, & qui medicamina formant,
Docti Apotheciſtæ, doctiferroq́; chyrurgi.
Innumeram vidi gentem, multumq; dolendam,
Tunc portabantur lectiſſima dona Deorum.
Omnia flammanti mirè fabrefacta metallo:
Agnus Iunonis, Hyacinthus Apollinis, ales
Ipſe Iouis, Cererisq́; corona è frugibus aucta,
Eumenidûm flores, Muſarum cygnus, aperq;
Solis, Neptuni cœleſtes denique piſces.
Populus Herculea, Martis vulturq;, Cathena,
Mercurij, Veneris myrtus, ſacrata Mineruæ
Noctua, Vulcaniq; faces, ſemperq; flagrantes,
Quæ circa currum Podagræ longo ordine latæ
Flammabant: & erat lampas mirabilis ignis,
Æterni in medio: Taceo iam dona minora.
Mox teſtudinibus, cytharis, cantúq; ſonoro,
Prodibat feſtiua cohors, chorus exultantum,
Orpheus in medio, nec erat quid ſuauius vnquam,
Auditum, Cantus Diuosq; Deosq; mouebat.
Ecce triumphali curru vulgente Pyropo,
Et gemmis variis, toto aureo, eoque figuræ
Turritæ inuehitur mundi Regina Podagra.

Veſti-

Veſtitu vuluo, ſtelliſq; micantibus aucto.
In quo Diuorum formæ ſimul intertextæ.
Aurato fulgens diademate, myrto, hederaq;
Cincto, pampineis ſupra contecta racemis,
Auricoma & roſea facie, nec tam macilenta,
Nec pingui, manibus gracilis, oculiſq; ſerena.
Celſa gerens ſceptrum, Iouis alite vertice charum.
Pectore pendebat modicus globus aureus, in quo
Inuidiam contra medicamina certa tenebat.
Reſpice, erat ſcriptũ, Poſt te, te hominẽ eſſe memento,
In curru: Non hæc Diuæ, at ſibi ſcripta putarent.
Tres lynces, totidem Pantheræ, tres quoque Tygres,
Ducebant currum Auguſtæ, blandeque mouebant.
Puniceis tunicis lictorum turba præibat,
Atque ſequebantur Bachæ, Satyrique iocantes,
Carminibus, cantu, auratis ſaltando coronis,
Mirificum rarumq; nimis ſpirabat odorem.
Suffitus varius circum, non thure Sabæo,
Quod redolebat erat maius nec nomen habebat.
Circum etiam Diuæ multi Pæana canebant
Alternis vicibus: ſi vere eſt author Apollo.
Progenies Diuûm gaude, tuus iſte Triumphus.
Tu populi victrix ſine ferro, ſanguine, bello,
Tu diſciplinæ domina es fœlixq; Magiſtra.

Tu vera es, verè veri patientis imago,
Tu tu refrenas motus, moderatio vitæ.
Tu prædictorum magna informatio ſalue.
Quem poterat nemo, tu Democratem extraxiſti
Circulo & hinc primo tuleras ò Diua Coronam,
Tu facis indoctos, doctos, caſtrosquè ſequentes
Luxuriam, madidos vino ſibi parcere potu:
Tu facis indomitos, domitos, ſtultos ſapientes.
Ex prauis rectos: Noua tu facis omnia ſola.
Tu Martis Bachi, Venerisque ſimillima imago
Ex quibus orta Dea es, tibi ſunt communia quæque:
Paruit imperio mundi gens tota ſeueri
Paruit ille tibi, tibi parent ſceptra potentûm.
Hîc viget vbertas, paupertas exulat iſthinc,
Te nemo deflet, ſicut qui luget amici
Fortunam aduerſam: riſus tibi proximus hæret.
Sublimes curru vel equis ſellaue quieti
Geſtantur, capiuntque locum mollitaque ſcamna.
Plurima, queîs aliâs ſors indignata negaret.
Quicquid aues, quicquid mandas datur otyus, inter
Conuiuas tibimet ſpecialia fercla parantur.
Te penes omne nouum, mundũ, ſpectabile, pulchrum,
Conciliumq; hominum: varia vt diſcrimina rerum
Narrantur, ſecura audis, nec oportet adire.

Cœlo-

Cælorum curſus & ab his pendentia noſti.
Bella premis, pacem firmas, contraria tollis.
Tu nullum cogis venientes atq; vocantes
Sæpe coacta etiam admittis, tua ſancta poteſtas.
Tu caſta es, nullum occidis, tu diua miniſtra
Nullius, at morbi ſoli tibi quique miniſtrant.
Tu ſat pulchra Dea es, nec habes contagia tecum
Qualem te fingit fugit atque ignobile vulgus
Nec quē clam aggrederis: nil fædum, nilq; moleſtum
Diua trahis tecum: tu vis cognoſcere prolem
Deſcendentem ex te, quam coram Regibus atque
Hoc toto præ aliis proponis in orbe colendam.
Imperio validos vehemente diuque coerces,
Mitior infirmos tractas, citiusq; remittis
Tu morbos prohibes, contra illos robora præſtas.
O Illuſtre tuum nomen, quod cogit amicos
Confluere auditum, charumq; impendere tempus:
Tu Dea magna facis memores nos eſſe Deorum,
Dirigis ad mortem, ad vitam poſt funera ducis.
Mors vt ſomnus ei, tibi qui ſe ſubdit alumnum,
Tu ſenſus reddis vegetos, gratamq; quietem.
Tranquillum ſomnū, incorruptū in corpore ſuccum,
Vitam longæuam, guſtu purum, atque valere
Syncere, rerumq; facis memorem eſſe ſuarum.

 Officiisq;

Officiisq́ tuos famulos & honoribus imples.
Qui te qui neſcit, nec amat, inglorius eſto.
Diua parens, mundi Regina, propago Deorum,
Vita ſalusq́ hominum, tua laus eſt vita tuorum.
Prorupi in laudes, illectus honore triumphi,
Ille ego, qui ſcripſi, & magnarum carmine laudum
Applaudens breuiter, dixiq́ nouiſsima verba,
Verba quibus mota eſt, hederæ mihi mittere ſertum,
Meq́ ſuum ſtatuit vatem, monuitq́ benignè.
Illius vt laudes memorem, celebremq́ triumphum,
Me per eam, per meque illam ſic viuere poſſe.
Ludio ad hanc diuam iactabat ſcõmata contrà
Bellula, dulcicola, auriflua, ò mea pulchra meum cor,
Quid mandas? quid agis? quid ais? mea carmina ca-
Næ tu magna Dea es, cui vix in corpore vires. (pſis?
Næ tu pulchra Dea es, qua non eſt turpior vlla:
Larua coronata eſt, quid non ſperatis aſelli?
Vt ſedet, vt fingit formas, vt pectora ludit,
Rana ſedens in æquo quondam tumida expirauit:
Magna Dea es: pater eſt mæchus, meretrix tua mater,
Quanta propago tua eſt, eadem ſi tota propago?
Sola tibi ſimilis, tibi ſola placere videris,
Hi clam te rident, qui nunc te publicè honorant.
Ira, amor, ingluuies, te ſic fecêre ſuperbam.

Si poſ-

Si poſſent capti, quæ ſic & quanta videres.
Hic tuus eſt hodie ſed quali iure triumphus?
Cras tibi nullus: eris totum deſpecta per orbem,
Tuque tuum nomen, tua laus, vis, gloria, ſi qua
Bellula puppa, an non bulla es? quam bellula bulla?
Fœtor es hinc fumum circumfaciunt benè olentem.
Dira tiri, tiri, dira tiri, tiri curua Podagra.
Dutricula & tiri bella tiri, tiri beſtia inepta.
Talia multa etiam ſocij alternando vomebant,
Quæ non digna ſatis pro maieſtate referre.
Pone ſequebantur curru ſplendente Podagram,
Reginam famulæ primæ ſemperque propinquæ.
Iſchia & Artritis, Chyragra & Mẽtagra Nephritis,
Et Phtyſis Hydropiſis, Ophtalmia, febrica turba.
Et tuſsis, ſcabies, peſtis, reliquæque ſorores.
Quas nec noſſe quidem poteram neque cernere rectè.
Quidã equites, tremor, æger anhelitus, Icteros ardor,
Calculus; his aliis iuncti plus mille ſodales.
Et pedites multi longè virtute minores.
Quiq; ſuo modulo laudes vireſq; Podagræ,
Cantabant Dominæ, ſed verba ſono intercepta.
Præpoperè adq; arcum ſtrepitus, ſtridor, fragor, (horror,
Ac ſi corrueret magna vi porta triumphi.
Auditus, viſuq; nihil, niſi flammula acuta

Conti-

Continuè erumpens, multumq; notabilis æſtus.
Internum quodcunq; fuit, ſic vndique motum
In laudes Podagræ & magnæ virtutis honores.
Iam prope erat templũ magni Iouis, ecce & vbiq;
Victima, laus, ritus, cantus, communia vota,
Tùm Regina iubet cunctos ibi colligi in orbem
Ediciq;. Quod vnusquisque ſuæ fabricator
Sit ſortis, nulli intulerit vim, candidè adusque
Egerit, obruerit nullum, gens ſit ſibi ruſtica teſtis
Et plebeia, ſed hi cytharis cyathisq; vocârint,
Et ſe ſubdiderint: falſo ergò iniuriam eidem
Affingant: poſcunt ſanos ſe eſſe atq; valentes
Qui temerè abiiciunt medicamina certa ſalutis
Quodq; ſuos vòcet àd requiẽ, arcti ad gaudia amici.
Sicut paſtor oues feſſas, atque euehat inter
Præcipuos cum laude viros, compeſcat inanem
Faſtum, rodentes curas, de proximi honore
Inuidiam, actutum moderetur corpora craſſa.
Nec tamen his trinis cordi, iecori, cerebroq;
Fontibus irriguis vitæ nocuiſſe legatur:
Quod præmat, haud perdat, neq; nunc ſi iure petẽdas
Corporis exuuias aut mortem vrgere ſuorum.
Seque ſuos aulæ Præfectos, ſic quoque gentem
Quatuor in magnas ſe diuiſiſſe cohortes.

Pars abeat ſecum, quo nunc ſe conferat ipſa,
Pars Helicone abeant, Peneo flumine terna.
Atque mari terraq́; ſibi, quæ vellet, haberet
Hoſpitia: at Gonnum Tempe fœlicibus vrbem
Coniunctam repetat pars, quarta exinde per orbis
Climata ſe longè & latè diffundat. At hæc ſit
Conditio. Præfectorum cuiusque cohortis
Sit firmum officium, ius, fas, omnisq; voluntas.
Quos penes eſt dare quemque neci, pœnisq́; quibusue.
Afficere aut tandem clementer parcere preſſis,
Sub nece, ſub pœna, ſubq́; indignantis in omnes
Supplicio extremo. Quod numina confirmârunt:
Ecce autem quaſi nos ſic decidit imber opacus,
Omnia & hoc ſubito, nec durans tempora multo.
Obſtupui nec quid præter veſtigia vidi.
Et dum clamarem & peterem cognoſcere finem,
Idem me ſocius rapuit perq́; æthera vexit.
Atque meo lecto, quo cepit, reddidit omni
Languore exutum, repetens mandata Podagræ
Ne peiora feram, ſua laudum encomia pangam.
Tunc exclamaui, Diis fors agitantibus, i nunc
Quisquis es infœlix, & ſcommota redde Podagræ.
Non eſt ſub cœlo maior virtute Podagra.

LAVS DEO.

In Podagræ Triumphum.

Pontanus, Podagram, pompam, Pæana Poeta,
Perſonuit pulchrè: pulchra Podagra parens.
Plectra Podagricolæ percurrite, pſallite, Pæas,
Pangite, poſt præſtat ponere pone pedes.
Præluſtris Podagræ præludia pulchra Poeta.
Præcinuit: patiens pangere plura poteſt.

P. B. G.

Quæſtio:

An Rex Aſa ægrotauerit ex cauſa Naturali?

Ex Toſtato lib. 2. Paral. cap. 16.

QVæritur vlterius, quare Aſa ægrotarit dolore vehementiſſimo pedũ, & an ægrotauerit ex cauſa naturali, vel à Deo datum ſit in pœnam facinorum aliquorum? Reſpondendum quòd ſatis poſſit teneri, quod iſta ægritudo peruenit ſibi naturaliter, & hoc quia cõueniebant duo in iſta ægritudine, quæ erant in rege Aſa. Primum erat, quia iſta ægritudo, vt communiter eſt viris diuitibus & petentibus viuentibus voluptuosè. Eſt enim cum cauſa indigeſtio quęrenda materiarum, quæ fluunt ad partes extremas corporis & cauſant dolores graues, & indigeſtio iſta prouenit partim ex varietate ciborum delicatorum & abundantia eorum & partim ex paucitate exercitii prouocantis digeſtionem. Et iſtud cõuenit viris potentibus diuitibus nimium: quia iſti paſcuntur voluptuoſis ad abundantiam, & paucorum laborum ſunt. Iſtud conueniebat regi Aſæ, qui erat potentiſſimus & fruebatur voluptuoſa vita, & pauco excitaretur labore. Secundum eſt in hac ægritudine, quod in plurimum euenit circa ſenectutẽ: nam raro inuenis reges podagricos iuuenes. Cauſa huius eſt, quia cum proueniat iſta ægritudo vno modo ex indigeſtione ſuperfluitatum, non conuenit illa iuuentuti. Primo, quia non contingit illas ſuperfluitates indigeſtas congregari in

pauco

pauco tempore & adueniente ſenectute congregatæ ſunt. Secundo,quia indigeſtio prouenit potiſſimum ex defectu virtutis, & tamē in iuuentute & pueritia eſt fortis valde illa virtus,& non poſſunt relinqui ſupfluitates illæ indigeſtæ. Tertio,quia digeſtio prouocatur nimis per exercitium, cùm per exercitium ſuſcitetur calor,& in ſenectute eſt paruitas exercitii,tum propter defectū virtutis motiuæ,tum propter corporis grauitatem:ideo tunc maximè contingit iſtam eſſe ægritudinem. In iuuentute autem eſt multitudo exercitii propter virtutis fortitudinē & corporis leuitatem,ideo non contingit tunc fieri iſtam ægritudinem. In Aſa erat iſtud, quia ipſe erat ſenex, quando accidit ei iſta paſſio. Nam anno triceſimo nono regni eius accidit iſta ægritudo. Et iam eſſet Aza ſenex vel ſenectuti propinquius,quia quando ipſe cœpit regnare erat aliquantæ ætatis. Nam non cœpit regnare in pueritia ſua. Et ſic ſatis conueniebat,quod iſta ægritudo eueniſſet ei naturaliter, cùm in eo eſſent conditiones aliorum Podagricorum. Dicendum tamen eſt, quod iſta ægritudo euenit ſupernaturaliter Deo infligente illum in pœnam peccati eius, quia tenuerat Prophetam in carcere. Et patet hoc primū, quia ponitur ſupra culpa magna Aſa, ſcilicet quod Prophetam in vinculis tenuerit,& hic ſubditur ægritudo eius grauiſſima: ideo videtur,quod ponatur tanquam in pœnam peccati ſuprapoſiti: nam ad hoc videtur eſſe continuatio hæc. Secundo patet: quia aliâs videretur ſuperfluum eſſe, quod poneretur hîc de ægritudine,qua mortuus eſt Aſa,quia nō ſolet in aliis regibus hoc fieri. Nam nō reperietur de aliquo expreſſe,quæ fuerit ægritudo qua mortuus eſt Aſa,niſi de illa appareat,quod à Deo in pœnam alicuius peccati data fuerit. Sicut apparet de Ioram rege Iuda, cuius ægritudo inſanabilis vteri ponitur infrà.Et tamen ponitur de iſto, qua ægritudine mortuus fuit: ergo videtur, quod iſta fuit in pœnam data pro peccato ſuprapoſito. Tertio, quia dicitur hîc, quod ægrotauit dolore pedum vehementiſſimo, & tamen non poneretur tàm diligenter iſta ægritudo,ſcilicet quod fuerit iſta ægritudo magna vel parua, niſi attineret ad

propoſitum, quia non ſolet ſcriptura ſe intromittere de non pertinentibus ad propoſitum ſuum: & tamen ſi iſta ægritudo naturaliter eueniſſet, non pertineret ad propoſitum ſcripturæ, quo fuit à Deo inflicta. Quarto, quia ponitur hîc repræhenſio eius, cùm dicitur, quod nec in ægritudine ſua quæſiuit Dn. ſed magis Medicorum ope confiſus eſt. Si tamē iſta ægritudo naturaliter fuiſſet cauſata & non ſupernaturaliter inflicta, non fuiſſet valde magna repræhenſio, quod cōfideret medicorum artibus: Si nunc eſſet inflicta ægritudo ſupernaturaliter, eſſet magna repræhenſio ſc. quod in ægritudine à Deo inflicta, crederat ſe medicorum ope & opera curandum. Ideo ad hoc, quod procedat iſta repræhenſio, dicendum eſt quod ſupernaturaliter inflicta eſt iſta plaga. Quinto, quia quando ſcriptura deſcribit aliquorū peccata, ſolet deſcribere eorum pœnas, vt videatur executio diuinæ iuſtitiæ, vt tum fuit ſuprapoſitum peccatum Aſæ, ſc. quod Prophetam tenuerit in vinculis, & ſi non eſſet iſta ægritudo data à Deo in pœnam pro peccato illo, non eſſet aliqua pœna hîc poſita pro peccato eius. Ideo dicendum quod iſta ægritudo fuit ſupernaturaliter data à Deo in pœnam peccati, & patet hoc, quia ſuprapoſitum fuit vnum peccatū Aſæ, ſi quod cōfidentiam habuit in rege Syriæ & non in Domino & hîc ponitur eius pœna ſc. quod inſurgerent bella contra eum. Cum dicitur, ſtulti egiſte & propterea hoc etiam præſenti tempore aduerſus te bella conſurgunt. Ponitur poſteà aliud peccatum eius ſc. quod cathenauerit Prophetam, & non ponitur alia pœna pro illo peccato, ſed dicitur, quod iſta ægritudo pedum à Deo pro hoc inflicta eſt, ideo dicendum eſt, quod venit iſta ægritudo ſupernaturaliter.

De Podagra triumphante.

CVr mea gentili de more Podagra triumphet,
Præ ſe lætitiam & parta trophæa ferens.
Eſt, quod gentilem viuat gens plurima vitam,
Nulla Dei ratio temporis atque loci.

Nulla

Nulla volu ptatum ſatians, lucemq; ſerenam
In noctem vertunt, inq; diem tenebras.
Et iuxta deſiderium ceu beſtia currunt,
Quod placitum hoc licitum, ſit voluiſſe ſatis.
Chriſtiades docuit nos optimus ille Magiſter,
Contento paucis viuere, amare Deum.
Non frenum laxare gulæ, verùm æqua tributa,
Reddere Naturæ, tum memorem eſſa ſui.
Paucos inuenies ſanctos, quos dira Podagra
Afflixit, inter quos Polycarpus erit.
At quibus obiecti fuerant hi caſibus antris,
Frigoribus, pluuiis damnificisq; cibis.
Non herbæ nec aquæ nocuere, famesq; ſitisq;,
Crus flexum & ſanctis talia mille viris.
Sunt & Chriſtiades, quibus olim frigore, ferro,
Mille viis aliis deperiêre pedes.
Queîs non gentilis dominatur iure Podagra,
Nomine ſed verſo forte Toparcha præeſt.
Sunt etiam Azaides, nec non gens peſſima vulgi,
Quorum diſcrutiat dira Podagra pedes.
At velut (Aza) ſacerdotes, gentemq; ſacratam,
Templa Deum, vinclis imperiisq; onerant.
Dum non aduertunt tam in digna piacla: Deumq;,
Poſtponunt, membris creſcit agitq; dolor,
Ergo Dei immemores æqui ſanctiq; boniq;,
Diſcrutia exanima, qua potes arte, rota.
Progredere euincens, dominare Podagra triumphans,
Illudiq; tibi nec patiare reos.
Otia donec erunt luxus, reuerentia Diuum,
Nulla, erit imperium iuſta Podagra tuum.

G. B. Pontanii à Braitenberg.

DE POENA IVDÆORVM IVXTA *tribus ſuas diſtincta, prout quæque Chriſtum in paſſione & morte perſecuta eſt. Ex antiquo manuſcripto, in Bibliotheca Reuerendi Georgii Bartholdi Pontani, &c. inuento.*

QVidam M. Franciſcus Iudæus, inſignis Medicus & poſtea conuerſus, cum eſſet conductus pro Medico in oppido Montis Caſſiani in Italia, qui prius habitabat in Placentia ciuitate Lombardiæ, qui & mulierem duxit in dicto oppido, aſſeruit & confeſſus eſt, hæc infra dicta õn eſſe occulta & ſecreta inter Iudæos, qui ſe dixit eſſe de tribu Gad, & monſtrauit in capite ſuo 15. cicatrices ad ſimilitudinem radicis porri, è quibus antequam ſe fecit Chriſtianum, ſingulis annis 25. die, menſis Martii, fluebat ſanguis cum magna pœna & dolore: ſed poſtquam factus eſt Chriſtianus dixit amplius non fluere, neque dolores aliquos ſentire ſe. Affirmauit etiam idem M. Franciſcus, quod cum eſſet Placentiæ in ſtudio & Synagoga Iudæorum, vidiſſe ſe Iudæos ab 12. tribubus, & ex illis quemlibet habuiſſe maledictionem ſuam, quæ omnia idem M. ore proprio dixit hominibus.

Sequuntur 12. tribus Iudæorum, qui fuerunt cauſa mortis Chriſti Domini noſtri & eorum maledictiones.

In primis ex tribu Iuda fuerunt illi, qui Chriſtum tradiderunt, & propter illud factum ſingulis annis interficiuntur inter ſe triginta per tradimentum, tàm magni ſunt traditores.

Ex tribu Ruben fuerunt, qui apprehenderunt Chriſtum in horto, & iſti habent tres maledictiones. Prima, quod omnem rem quam co[illegible]gunt, ſi eſt viridis, infra diem areſcit. Secunda, quo[illegible]unt ſeminare aliquid, quod naſcatur. Tertia, quand[illegible]tui, nulla herba naſcitur ſuper ſepulchrum illorum.

Ex tribu Gad fuerunt illi, qui impoſuerunt Chriſto coronam ſpineam, & fuerunt 15. ſpinæ, quæ penetrauerunt carnem,

vſque

vſque ad cerebrum. Et iſti habent hanc maledictionem,quod omni anno 25. Martii,habent in capite circumcirca 25. cicatrices, quæ emittunt ſanguinem à mane illius diei vſque ad noctis crepuſculum.

Ex tribu Aſer fuerunt illi, qui dederunt alapas Ieſu, & iſti habent brachium dextrum magis curtum quam ſiniſtrum quaſi vero palmo.

Ex tribu Neptalim fuerunt illi, qui miſerunt eorum filios & filias in vnum ſtabulum porcorum, & Iudæis ducentibus Ieſum de domo Annæ ad domum Caiphæ, prætereundo eandem domum,vbi erant iſti pueri, dixerunt Iudæi Chriſto: Propheti za nobis,quis eſt ibi intus.Reſp.Chriſtus:Sunt veſtri filii & filiæ. Dixerunt Iudæi: Non eſt verum, ſunt porci. Reſpondit Ieſus: ſint ergo porci. Et ita omnes facti ſunt porci,& omnes currebant & ſe ſubmergebant, & omnes iſti de hac tribu habent 4. dentes ad modum porcorum, & oculos ſicut porci, & fœtent ſicut porci.

Ex tribu Zabulon fuerunt, qui miſerunt ſortem ſuper veſtem Chriſti,& iſti habent hanc maledictionem,quod omni anno 25. die menſis Martii, venit eis vna plaga in ore ex ſtomacho, quód emittunt ſanguinem à mane vſque in ſero.

Ex tribu Iſſachar fuerunt illi,qui flagellarunt Chriſtum ligatum ad columnam,& fuerunt ſex millia ſexcenta ſexaginta ſex vulnera in toto ſuo corpore. Et iſti omnes 25. die menſis Martii habent ſex millia ſexcenta & ſexaginta ſex vulnera ſeu plagas in eorum corporibus, quæ emittunt ſanguinem à mane vſque in ſero.

Ex tribu Manaſſes fuerunt illi,qui clamauerunt; ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Et iſti habent hanc maledictionem, quod omnes & paruuli ſingulis menſibus ſeu nouiluniis habent certos dolores in eorum corporibus, adeò quod guttæ ſanguinis fluunt per eorum virgas.

Ex tribu Ioſeph fuerunt illi,qui fecerunt clauos,cum Chriſtus eſt crucifixus, ex quibus fuit vna fœmina, cuius nomen

Beatrix,

Beatrix, qui conſuluit vel excogitauit quod claui fie rent punctati obtuſi, & propter hoc peccatum omnes fœmin.æ Iudæorum, quando tranſeunt 24. annum, quando dormiunt, habent os plenum vermibus.

Ex tribu Simeon fuerunt illi, qui Chriſtum affixerunt cruci, & illi 25. die menſis Martii habent 4. plagas in qualibet manu & 4. in pedibus, vnde ſanguis fluit à mane vsque in ſero.

Ex tribu Beniamin fuerunt iſti, qui Chriſtum potauerunt ſpongia cum felle & aceto. Et iſti habent hanc maledictionem: quod nunquam poſſunt videre ſuper ſe in aëre, & ſemper habent ſpumam in ore, & quando loquuntur, tunc ſalit ſpuma foras ad modum vermiculorum.

Et nota; Quod omnes Iudæi habent hanc maledictionem, quod ſeminando quodcunque ſemem non poteſt plus colligere, quam quantum ſeminarunt, exceptis illis, qui non voluerunt conſentire in mortem Chriſti, nec adeſſe. Et iſti habent brachia ita longa, quod cum palma in manu attingant tibias.

F I N I S.

A01 1664258

BIBLIC
Vitor
XX